



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

III. Meditatio: De eligendo vitæ perfectæ statu in Religione.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)

num! repondit puer JESUS: Eris: ait ille; Domine, non satis credo, nam sum miser peccator: tum Dominus JESUS: Do tibi, inquit, manum meam, quod futurus sis mecum in æternum: Apprehendit ille manum sanctissimi Pueri, & evigilavit. Hæc ex ipso Patre Laurentio audivit P. Gaspar 1623. 27. Novemb. Godovii, ubi simul manebant tempore pestis Lublinensis, & loquebantur de illo genere viæ & vitæ spiritualis, quod *negligentia* appellatur; quæ est cogitatio Filiorum Dei, seu eorum, qui cum JESU Filio Dei futuri sunt in æternum. Dum, Religiose, cogitationes has legis, ita lege, ut eas habeas, si Filiis Dei vis adnumerari.



DIEI SEXTÆ  
MEDITATIO III.

*De eligendo vitæ perfectæ, in  
Religione, statu.*

Modum electionis faciendæ proponit S. P. N. sub finem Hebd. secundæ.

ORATIO PRÆPARATORIA, &  
PRÆLUDIUM I. Ut in Med. prima, diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo

*Meditatio III.* 139

gratiam, vivendi in numero perfectorum Dei servorum.

**P**UNCTUM I. Alloquere Dominum Deum tuum. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Et considera beneficia Dei innumera, quæ tibi præstitit Deus ab instanti vocationis tuæ ad Religionem ad hoc usque tempus; ea beneficia nemo melius nôsse potest, quàm tu ipse. Expende finem, ad quem vocatus es; adduc in memoriam media salutis, quibus in Religione abundas, ita ut neminem incusare possis ob tuam à fine tibi præfixo deviationem, nisi teipsum, non utentem vel malè utentem mediis. De his ergo coram Deo te accusa, cum proposito emendationis.

II. Dic Domino cum Ezechia, *Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anima mea.* Et statue ob oculos tuos in conspectu Dei, vitam tuam hætenus in Religione transactam. Vide, quos fructus, vel potiùs quæ damna hujus vitæ habeas? quàm indies elongeris à perfectione? quàm vicinus sis lapsibus gravibus? Immò quàm dubius, ne in eis sis? quàm Christo, & regulis tuis difformis? &c. Ideòne te Deus vocavit ad hunc statum? confundere coram Deo, & dole.

III. Audi Deum dicentem, *Isa. 48. Servus meus es tu Israël, &c. in te gloriabor.*

Et considera, quanta sit honestas, utilitas & suavitas exacti servitii divini, non solum coram Deo & conscientia propria, sed etiam coram externis? Quanta hinc erga Deum fiducia? quanta pax mentis? quanta securitas in vita? & morte? quanta communitatis ædificatio? quanta gratiarum, benedictionum, protectionisque divinæ assiduitas? quanta æternæ beatitudinis certitudo? his bene expensis, ita cum animo tuo ratiocinare.

1. Si quis te confuleret, cui optime velles, quânam ratione in Religione vivere deberet, quid illi suaderes? hoc ergo suade, & persuade tibi, ne dicatur tibi: qui alium doces, cur teipsum non doces?

2. Si mors nunc ingrueret tibi, qualem in Religione vitam vixisse velles, qualem vixisse nolles? nunc ergo dum tempus est ( & quantum sit, non nôsti ) illam elige, istam negligere.

3. Si jam in iudicio Dei staturus esses, qualem vitam vixisse velles? qualem tibi apud iudicem & Assessores ejus profuturam, & qualem obfuturam censes? hanc ergo relinque, illam delige.

4. Quid à te factum voles, quando in Purgatorii flammis ardebis? quid factum voles, quando ad conspectum dignissimi omni amore Dei venies bea-

tificatus? poenitebit te, tanto bono, tantæ dignitati, Deo, tam abjectè servivisse. Quid factum voles inter tot millia perfectissimorum Dei fervorum constitutus? hoc, si sapias, nunc facito.

5. Frivolæ sunt causæ, quæ te à perfectæ vitæ studio in Religione remorantur; hæc enim sunt. 1. Horror difficultatum, vincendique sese. 2. Horror vigilandi super se. 3. Metus privandi se levibus solatiis. 4. Metus displicendi aliis, similibus tibi in neglecta vita. 5. Metus linguarum iridentium & carpentium, quòd te illis non accommodes. Hæc & similia, vide, an tibi in articulo mortis, & coram judice Deo, sint suffragatura? quid respondebis Christo dicenti: Hæcne tanti erant, ut me, qui tanta tibi feci, his postponeres? In fine fac particularia proposita.

In COLLOQUIO dic: Fons omnis perfectionis, Domine, qui dedisti velle, da & perficere! Demum Pater, Ave, & Anima Christi.

